



PROLEGOMENA
IVRISPRVDENTIAE
CIVILIS.

1. *De variis Germaniae legibus, non tantum respectu totius Imperii, sed etiam ratione diversorum statuum, item de jure consuetudinario praedictis, & communi opinione.*
2. *De variis methodis docendi jurisprudentiam cum icone nostrae methodi.*

§. I.



Urisprudentiam ritè cognituro praecipue opera danda, ut ejusdem principia debito modo indaget. Cum verò in praesentiarum non universam isthanc disciplinam, sed eam tantum quae de privatorum negotiis praecipit atque civilis dicitur tradere animus

A

fit

fit, neutiquam opus fore confido, ut quicquid est juris principiorum excutiam, verum satis erit, si quæ scopum proprius ferunt adduxero.

§. 2. Nisi me omnia fallunt ad quatuor capita revocari potest quicquid ad causarum decisionem allegatur, scil. LEGUM, CONSUETUDINUM, PRÆJUDICIORUM seu rerum in collegiis juridicis, vel tribunalibus judicatarum, unde & decisiones Camerales, judicii Aulici & aliarum curiarum decreta huc refero, tandem OPINIONIS COMMUNIS, quorsum allegationes Doctorum spectant.

§. 3. Singula peculiarem meditationem postulant. Faciamus à legibus initium. Optandum hic, ut falsa dixissent *Monzamban. c. 5. §. 13.* qui cinnum vocat jurium nostrorum multitudinem, & *B. Kulpis in not. ib.* qui citratropum tantam confusionem esse ait, ut sepius in foro & interpretes in scholis in errorem seducant. vid. omnino §. 20. præf. ad delin. jur. civ. *Beyeri. Conring. de O. J. G. Schilt. in præf.* Verum querelis nil proficitur, alias *Lutberi ipsius tom. 7. Jen. f. 443.* & integer tractatus *Job. à Brandes de vera & simulata Jureconsultorum philos.* hic exscribendi essent cum pluribus aliis. Igitur ad rem: leges, quibus utimur, vel peregrinæ sunt, vel in ipsa Germania enatæ. Ad illas referri solent jus LONGOBARDICUM,

CA-

CANONICUM & ROMANUM, Primum vix est hujus loci, cum feuda explicet, quæ separatam juris tractationem exigunt. Et, quamvis etiam civilium causarum decisionem ex eodem peti posse, secus ac *B. Struv.* existimavit, doceat *Ludvvell. de feud. p. 19.* at tamen id rarissimum esse vel illud evincit, quod plerumque ad unicum casum de tempore juris protimiseos determinando hic provocetur. Dereceptionis tempore dissentiunt *v. Conring c. 32. de O. J. & Rbet. proæm. ad Jus feud. §. 33.* Ad Ruperti ævum ascendit *Schilt. c. 40. §. 4. Jur. feud. Alem. §. 5. p. 230.*

§. 5. Jus vero Canonicum omnino Juris privati insigne principium est, prostant eruditorum Triumvirorum de hujus auctoritate & origine labores *Strauchii, Ziegleri Dissertationes* atque *Gerhardi de Mastricht tractatulus integer, ut Conringium de O. J. G. taceam & Dn. Stryck. discurs. prælim. ad us. mod.*

§. 5. In eo conveniunt, quod seculo tertio decimo Germaniam irepserit. *Conring. in regro cap. 26.* causam cur magis magisque se diffunderet exponit *Mastricht. §. 386. init.* plura refert *Dn. Thomas. in præf. ad eundem* verbis: solet maximè urgeri &c. *Schilt. c. præf.* annum planè ponit 1236. adeoque vix sex anni ab ipsa compilatione *Gregor. IX.* ad receptionem in Germaniam præterlapsi erant.

§. 6. Quod si gemina testimonia ex *Spéculo Suevorum L. 1. cap. V. & Constit. Frid. II.* consideramus ex iis liquido apparet ad ecclesiastica negotia restrictum fuisse hujus juris usum, Quod evidenter itidem adstruit *diploma Rudolphi de anno 1587. Herbipola*, sicuti benè annotat *Lebmann. in præloquio ad idem Lib. 1. Chron. Spir. c. 108.* Forte dicendum initio Decretum saltem pedem intulisse in Germaniam, quod plura ecclesiastica continet, hinc in Ecclesiasticis valuisse, postea Decretales verò, ubi politici fori uberior expositio, etiam ad secularia auctoritatem invitò principe extendisse adde *tamen Dn. Pagenstecher. p. 153. Benedict.*

§. 7. Ista quæstiones difficultate non carent, quousque in secularibus receptum, quam mutationem post reformationem sit passum, & quid in collusione cum jure civili pronuntiandum.

§. 8. Quod primum attinet notandum, non tantum sensim Decretales invaluisse, sed pro varia Imperatorum vel Pontificum auctoritate variasse, adeoque vix certè demonstrari posse, quousque præter causas clericales valuerit.

§. 9. Sane si Bullam Gregorii respicis, quæ opus suum ubique observari jubet, in universum videtur receptum fuisse. Favet huic sententiæ historia istorum temporum, hæc enim
super-

superstitionem laicorum, papæ auctoritatem & servile erga sanctissimum patrem obsequium non loquitur, sed clamat, inde pro universalis receptione pugnat *Dn Pagenstech. d. l.*

§. 10. Verum ausui Gregoriano obstiterunt, quæ *Conr. c. l.* adfert permultos fuisse, qui consuetudines suas priscas prætulere, quorsum spectat. *L. l. art. III. Spec. Sax. citat.* eidem. Addi possunt plures chartæ, quas ex istius ævi monumentis expromit *DN. Hert. tom. II. opusc. p. 424.* Ex quibus condiscitur jam anno 1252. adeoque paulo post Decretales receptos, renunciaſſe Landgravium Alſatiæ subsidio Juris CANONICI & CIVILIS. Imo ne te turbet Alſatiæ situs ex *Martin. Rangon. diplom. pomeran.* similis formulæ renunciatio inter Duces Sclavoniæ & Episcopum Caminensem adducitur ibidem.

§. 11. Vides hinc duo fuisse, quæ Juri Canonico a Papa in possessionem misſo vim fecerint, mores scilicet priscos & legem civilem. Agnoscit priorum vim in media superstitionisſima Hispania *Martin. Alfons. Virald. de Bello inter leges & consuetud.* ubi monet nec concilio Tritendino parçitum fuisse, quin plura moribus in eo definita mutata fuerint. De posteriore præter dicta dubitare non sinunt, quæ conduxit ulterius laudatissimus Hertius *d. l.* interim satis magnus ejus fuit cultus.

§. 12. Post insignem isthanc seculo XVI. mutationem religionis, nihilominus mansit juris Canonici auctoritas. Quamvis enim magna stipatus caterva Lutherus publice exstructo rogo juxta pomperia Wittebergensia combusserit, tamen flamma isthac non consumpsit juris hujus amorem. Neque dissimulante ferebant jure consulti Wittebergæ præsententes, quam parum sibi gratam rem fecisset Lutherus. *Ziegl. §. 64. 65. præf. ad Lancellor. adde omnino Seckendorf histor. Lutheran.*

§. 13. Putat quidem *Ziegl. d. l.* ab eo tempore prorsus exanimæ & enerve jacuisse. Et ne desit demonstratio, addit, decretum locos communes male confarcinatos esse, quales facile quis proprio Marte majore fide & majore industria comparare sibi posset. Decretalium in matrimonialibus & processu auctoritatem jactari, sed eadem frustra. In illo enim argumento decisiones contineri impias, in hoc, propter tot processuum ordinationes, inutiles Rationem prioris distinctius insuper reddit DN. I. S. *Stryke de Jure matrim. §. 14. sequ. c. 1.*

§. 14. Sed quod matrimonialia attinet teste experientia discimus contrarium, quam nec negare audet citatus *Stryke*. Hinc cum in foro secundum Leges non de legibus judicandum, sequimur *Carpz. L. II. def. 125. jurispr. eccles.*

eccles. & B. Strauchii tradita §. 40. dissert. de Orig. Jur. Canon. Processum ex Jur. Can. hodiernum desumi ex allegatis eorum, qui in processum commentati sunt, satis liquet.

§. 15. Sed an quid ulterius valet? Resp. *Pagenstech. d. l. jugum Pontificis non nisi in religione & sacris excussum est. ex quo sequitur jus canonicum forense adhuc hodie in viridi vigere observantia* sigillatim verò causas, quæ inde deciduntur, recenset *Strauch. d. l.* Clausulam salutarem insuper adjecerunt canonistæ, quod quoties de conscientia & peccato vitando agatur, tcties ad jus canonicum eundum sit, sed ut fortasse hoc effatum in terris Catholicorum negari nequit, in provinciis tamen protestantium usus & receptio accedere debent. Verum probationem alleganti non incumbere vult *Pagenstecher d. l. cui accedit Schilt. ex c. §. 12. f. Stryk. II. M. §. 36.* idque eo, quia ab initio universaliter receptum esse docent. *sed. vid. prac. §. 9. 10.*

§. 16. Si cum jure civili collidat, præfertur secundum DN. Stryk. civile, ideo, quia jure civili recepto & in imperii constitutionibus approbato, tacitè juri canonico in civilibus repudium datum. Itaque posterius derogare priori. Dissentit DN. Pagenstech. ex eâ ratione, quod ante Juris Civilis usum in temporalibus potestatem legislativam exer-

cuerit Pontifex. Alii litem regulis componere volunt, ut *Rittershus. in proxm. ad diff. Jur. Civ. & Canon.* quod videndum, cujus decisio sit magis clara & æqua. Alii distinguunt inter terras Imperii & dominia ecclesiæ. *Card. Tusch. concl. 277. n. 36.* Mihi licebit facere cum Pagenstechero quia jus civile accessisse, confirmatum esse certum, sed jus canonicum abrogasse, nullibi ni fallor legitur, jam vero unius positio non est alterius exclusio. Imo acerrimus Papæ infectator *Conring. de O. J. c. 32. sub voce Gemeine Rechte.* Latere putat tiam Jus canonicum *vid. Deck. p. 34. de cultu Juris Can.* Explicanda tamen sunt hæcenus dicta semper de casu ubi non constat quodnam jus pro altero receptum. Adde *Hert. de collif. LE.*

§. 17. Excipit Canonicum jus, jus Civile. Intelligimus verò hoc nomine jus Justinianicum, prout in notissimis Institutionum, Digestorum, Codicis & Novellarum libris continetur.

§. 18. De tempore receptionis mirè variatur. Secernenda hic, lege publicâ decreta receptio ab usu reliquo. Quomodo posteriori ratione eruditorum opera juris nostri studium intermortuum denuo in Italia excitatum fuerit, *vid. apud Card. Hostiens. in cap. II. X. de Testam.* Illud certum privatim à Doctoribus maturè in Germaniam invecum esse, quod
vel

velinde probabile, quod Martinus, Bulgarus, Jacobus &c. at quanta Juris civilis Decora! Imperatori Friderico I. fuerint à consiliis vid. *Radevic. in vita ejus.*

§. 19. Communiter, neque falso, * inter præcipuas causas academiae referuntur, quæ partim Italicae, partim nostris, quidem hominibus, sed studiis Italorum plane imbutis relinquiebantur. Inde Juri Civili sua incrementa. Licet in antiquissima Heidelbergensi initio Professores non fuerint constituti. vid. *DN. Hert. de Consult. Legibus & Judiciis singul. Rerump.*

* *Dissentit DN. Schilter. Commentar. ad Jus Feud. Alem. p. 530. ubi in Dissertat. de simultaneâ investitura ibidem annexa, à curiis ad scholas potius Jus transivisse vult. Idque duplici argumento, quod constitutio Ottonis II. quæ extat L. 3. a. 85. LandR. è jure Civil. Authent. de duob. reis desumpta sit, it. quod cause exheredationis Justinianæ extent in Jure Alemann. Sed hi textus probant tantum, aliquas Juris Civilis particulas Juris Germanici accessorium factas fuisse, non vero ipsum Jus Civil. in curiis habuisse usum.*

§. 20. Momenti aliquid attulit etiam communis existimatio, quod Jus hoc instar systematis jurisprudentiæ optimè contextæ & infinita prudentia refertissimi habeat, quo multi populi uti possint tanquam instrumento cujus ope quisque suas leges interpretari & ad præsentés casus discat applicare. In hunc sen-

sum (de antiquis enim, ut idem demonstrem supervacaneum est. *add Arthur. Duc de Auctor. jur. civ. & programma Witteberg. tractatu de neu. jurispr. à DN. Thomasio subjunctum*) bini nostri temporis illustres Jcti, Schilter & Kulpis loquuntur in scriptis jam laudatis.*

* *an corpus Juris viam salutis aeterna etiam ostendat qua situm memini, & affirmavit non nemo. Noti sunt apud Catholicos labores. Cornelii à Rynhelm.*

§. 21. Accesserunt corpori Juris constitutiones Imperatorum nostrorum Friderici I, Friderici II, & Henrici VII. quæ passim à Jctis in eum sensum accipiuntur, ac si Juris hujus confirmationes essent, verosimile enim, eas neutiquam juri obsoleto inferere voluisse suos auctores. Licet non negandum *Kulpisum. dict. dissertat.* de regno Italix has legislationes intelligere. Idque præcipue cum Marchionum, Comitum cunctique populi mentio fiat, quibus nominibus ordines Germaniæ compellari non fuerunt.

§. 22. Scisio Imperii in Guelphos, Gibellinosve itidem occasionem paulo majore cura jus hoc colendi dedit. Martinus sane Bulgarus & alii tela sua pro defendendis Gibellinorum imperatorum partibus è corpore Juris tanquam instructissimo armamentario depromebant. Quis itaque crederet communem jurium imperii fontem, non fertis ac

floribus à plerisque coronatum tunc fuisse.

§. 23. Advocatorum cautela, uti hodiè loquimur, & hic quoque partem sibi vindicant. Minimum, cum solennes renunciationes auxiliis IVRIS CIVILIS jam circa medium sæculi tertii decimi in vetustis chartis legantur, quæ manifesto indicio sunt, quod praxis juris & consuetudinum Germanorum contextu, è jure civili simbrias assuere cœperit. Auctorem *Dissert. de Legib. Consultat. singul. Rerump. thesaurum* harum chartarum exhibentem supra allegavimus.

§. 24. In doctrina de receptione publica auctoritate facta, nescio an quis ultra *Goldast. in dedic. rational. ad tom. 1. conf. Imper. adscenderit*, qui, se jam Clodovei III. ætatem attingentia diplomata vidisse, ait, quæ Juris hujus in media Germania mentionem facerent. Sed verum inde receptio probanda ipse sibi *Goldastus* diffidit. adde *Bignon. not. ad append. Marculf. cap. 57.*

§. 25. *Limnæus* ad capitul. Carol. V, ubi antiquitatem praxeos hujus Juris docere vult, provocat *ad capit. 100. addit. IV.* Sed ab illo abstinisset, si jus Romanum à Justiniano distinxisset. Nam citatum *cap.* apertè respicit ad *L. 6. C. Theodos. de Adult.* Siquidem Jure Justiniano in crimine sodomix pœna concremationis non obtinet. *L. 31. ad L. Jul. C. de Adult.*

§. 26.

§. 26. Jureconsulti optimæ notæ ut *Heigius* p. 1. q. 7. n. 49. *Hotomann. ad Tacit. Gryphind. de Weichbild. c. 41. Mynsing. ad Inst. l. 3. t. 1. Lotharium Saxonem nominant, qui lege sanxisset, ut impofterum ex uno jure civili judicia fierent. In hac ipsa academia Jacobus Scintius in Encomiastico Lotharii multa declamatione idem propugnavit, annum trigefimum septimum supra millesimum & centefimum audacter pro tempore receptionis venditans.*

§. 27. Sed hunc errorem à Lindenbrogio & Calixto notatum adeo confutasse Conringium ait Kulpis *de German. Leg. Orig.* ut rerum maxime imperitus sit, qui has fabulas oblivisci nescit.

§. 28. Conringius, an ante Cameram constitutam usum forensem habuerit difficilem inspectionem esse inquit *c. 32. d. l.* Certe se cum Lehmanno *vid. Chron. Spir. p. 295.* ultra annum 1495. non nisi invita historia ascendere posse ultro profitetur. Imo seculo XV. maximas controversias ex simplici & prisca formula decisas refert *ibid.* Quamvis Conringium in istis, causas feudales non satis à civilibus secernere annotet *Dn. Datt. L. IV. c. 1. n. 125. de pac. publ.* Contradicit eidem medico *B. Rbetius pref. ad Jus feud.* & ad seculum XIV. receptionis natalis refert.

§. 29. Ipse Dattius jam anno 1438. in forum

rum Imperii introductum putat argumento constitutionis Alberti, quam exhibet *L. l. c. 26. §. 14. d. l.* motus præcipue vocabulo Gelehrten / nam hoc notare juris Romani peritos patere ex *declaratione secunda artic. V. reformationis Friderici III.*

§. 30. Ut plurimum provocatur ad leges publicas sequentes, *Ord. Maximiliani 1495. supra laudatam Ord. Camera 1500. Constit. von Notarien ejusd. Imp. ubi verba: Nach laut gemeiner beschriebener Keyserl. Recht &c. sub hac verò formula Jus Justinianeum latere hæctenus creditur & olim creditum fuit diu.*

§. 31. Sumpsit tamen aliquando sibi oppugnandum hoc dogma *B. Kulpis. de German. Leg. auct.* Cujus cepti ipsum non pœnituisse docet *commentatio ad Monzamb. c. 5. §. 13.* Putat verò, jus Civile in processuum formulis saltem commendari *R. J. 1495.* Insuper constare, seculo demum decimo quinto receptum esse jus civile, adeoque idem, ut commune in ejusdem seculi Recessu vix allegari posse. Accedere, quod communia jura gemeine Rechte legantur, ubi de pace publicâ, contributione turcica, judicio Westphalico, & similibus causis ad jus Romanum planè non spectantibus agitur. Leges ipsas secernere die *Keyserl. Rechte* / quæ causas dirimunt à reliquis. Neque obstare *Constant. Maximil. de anno 1512. §. von Gotteslästerey* / hic enim inter alia dici posse, quod
Jus

Jus Justinianicum commune appelletur, cum de re per lumen rationis nota & moraliter turpi loquatur.

§. 32. Verum *Dn. Datt. Lib. 4. c. 1. l. c.* eruditè incensit, atque ad locutiones, *gemeine Rechte / Keyserliche Rechte / gemeine Reichs. Rechte /* aliquot observationes hermenevticas addit, quas etiam ex ipsis textibus Juris publici egregiè roborat. Unde concludit *n. 137.* in juramento, quod *Camerae Judici & Assessoribus in Ord. 1495.* præscribitur, sub formula: *IVRIS COMMVNIS*, Justinianicum intelligi. Ex quibus porro subsumendum non saltem respectu certarum particularum & legum peculiarium, verum generali ratione Jus Romanum invaluisse. Quod etiam ni fallor verosimile redditur, si cogitamus, quanta animorum præparatio ad Juris hujus receptionem præcesserit.

§. 33. Hinc communis doctrina: qui allegat Legem è Jure Civ. habere intentionem fundatam & ejus observantiam docere non debere, nisi quis simul allegaverit nominetenus eandem. *Schilt. Exerc. 1. §. 1.*

§. 34. Ne quis verò hâc doctrinâ abutatur, ita temperatur à Schiltero §. 12. *d. l.* quod intelligenda sit receptio, I. salvis moribus II. salvis statutis III. salva status publici ratione. Igitur si horum unum obstet juri Romano, cessat receptionis præsumptio.

§. 35. Inde vides, quid pronunciandum in DVBIO, si jus Civile cum jure Domestico collidat, si Saxonum juri, si suevicæ seu alemanicæ legi contradicat. *vid. omnino auream Schilt. ad jus feud. Alem. præf. Habn. ad Wesenb. de Condict. indeb. n. 4. inf. Maurit. Dissert. de lib. jur. commun. tb. 22. Dn. Stryke V. M. præf. §. 27.* Vides quam amplissimis limitationibus subja- ceat hic canon, quod jus Romanum instar communis regulæ ubique servandum.

§. 36. Vides, quid sentiendum de alio bro- cardico: leges provinciales & statuta ex hoc jure debere restringi. Sane si hoc vult, quod mera verba respicienda, non ratio, non cir- cumstantiæ reliquæ, quas bonus interpres cæ- teroquin considerat, falsissimum erit. Nam receptum est jus Romanum salvis Juribus pa- triis. An verò jura patria salva, si ad ratio- nem, materiam substratam & reliquas inter- pretandi regulas non respicitur? Idem est, ac si dicerem, salvum esse animal, cujus tamen anima extincta est. Sed videamus summatim de quibusdam argumentis specialibus.

§. 37. In criminalibus præcipuè & qua- stionibus, quæ ex *Const. Carol. V.* deciduntur, exinde magnam auctoritatem consecutum est, quod Imperator in causis aliquatenus dif- ficilibus judices ad Consilia Scabinatum pe- tenda ableget, veluti verba habent art. 219. sollen

Sollen die Richter bey denen nechsten hohen Schulen zc. Rath zu suchen schuldig seyn. i. e. apud Doctores Juris præcipuè civilis.

§. 38. Testamentorum argumentum ferè ex solo civili jure petitur. Cum eorundem usum Germani ignoraverint teste Tacito de M. G. c. 20. Imo in tota succedendi ratione plurimum Justiniani juris placita servantur.

§. 39. In Contractibus, capitali hypothese si de invaliditate pactorum cessante, multa corruerunt. Negari tamen nequit, multa æquitatis plenissima mansisse.

§. 40. In processu commune effatum est, magnam esse juris canonici auctoritatem: Processum Banni, Inquisitionis, Arresti, Executionum, Cambii, notum est patrio juri deberi. Erit tamen & hic generalium principiorum Romanorum satis insignis usus.

§. 41. Jus personarum Romanum, brevè, tribus ferè distinctionibus absolvitur, quid de hoc dicendum, videbit, qui paulo diligentius Schilteri dissert. de jure peregrin. Hertii de hominibus propriis, Hessii de usu juris patrii commentationes, inspexerit. Multa hic supplenda esse nemo negabit. De reliquis in ipsa argumentorum tractatione.

§. 42. Interim, cum pro communi jure etiam in comitiis habitum, cum insigni prudentia sit refertum, nocturna diurna que ma-
nu

manu erit versandum. Ut autem verum ac genuinum sensum quis eruat humaniora studia cum morali disciplina præcipue jungenda. * Alias enim caput quidem variis inaniis replebit ad stuporem, sed non ad sapientiam. Insuper pro dijudicatione usus positiva à naturalibus, rarissima ab usu frequentibus, leges civiles nostris insertas, à reliquis fecerni debent.

* *De artibus liberalibus insignis locus Marcellini extat apud Panzir. de cl. leg. interpr. p. 90. ubi & Azonius inscitia notatur.*

§. 43. Igitur ad Jura patria. Secernamus hæc in communia & particularia. Illa rursus subdividuntur in leges & consuetudines. Leges Universales sunt, quæ ab Imperatoribus ritu in Imperio recepto omnibus Imperii civibus promulgatæ sunt. Vocantur germanicè Reichs-Satzung apud Goldast. p. 1. & II. Reichsgemeine Rechte/ Ord. 1495. §. 10. 12. Reichs-Rechte. R. J. 1442. tit. wie man pfsand den soll. Reichs-Abschiede vid. L. B. Lynker. Disquis. 6. font. Decif. Illust. p. 34.

§. 44. Nos eatenus has leges huc referimus quatenus in iis multa continentur, unde singulorum controversiæ deciduntur, reliquorum enim explicatio, e.g. modus conficiendi, in publici Juris disciplina docentur.

§. 45. Antiquissimæ sunt Carol. M. leges,

ges, * quæ capitularia dici cæperunt. In rationem appellationis prolixè inquit, *Baluz. in præfat. ad capitul.* Promulgatæ sunt consensu totius populi *Baluz. §. 7. d. l.* Et Idiomate, quidem populi Francici patrio scripta, ut contendit *B. Schilter. tom. II. Jurispubl. tit. 19. §. 1.* Sane cum in regni conventibus adstante frequenti Nobilium Virorum corona constituerentur, cum prælegerentur, cum populus interrogaretur de sensu, vid. *Capitular. III. capit. 19. tom. 1. Baluz. p. 394.* cum postea singulis comitibus à Cancellario Palatii exemplum daretur, ut, (sunt verba Capituli Ludovici pii. ann. 823.) *coram omnibus relegerent, ut cunctis ordinatio & voluntas nota fieri possêt* : aliter credi non posse videtur. Quamvis non præfractè negandum, & latinè quædam conscripta fuisse exempla, atque publicè asservata, imo literas latinas contextui Francico fuisse adhibitas, qua conjectura satisfacit *B. Schilter. præf. ad Jus Feud. Alem. §. 9.* Conringio & Lehmanno dissentientibus. Placuisse hoc ipsi Baluzio ostendant literæ ejusdem ad calcem dictæ præf. subjunctæ.

* De pugillarium usu, quos capiti supposuisset Carolus, ut annotaret memorabilia, non conveniunt verba Concilii Rbemens. cum Eginhard. vid. cit. præf. Baluz.

§. 46. Ludovicus pius numerum capitularium sua legislatione auxit. Utriusque capi-

capitula una opera conjunxit * Ansegisus anno circiter 825. Abbas Lobienfis, uti viri eruditi crediderunt, vel Fontanellensis, si Baluzio credendum. Hunc secutus est anno 845. Bened. Levita Diaconus Moguntinus, cujus extant III. libri similis argumenti, multa enim Ansegiso prætermiffa fuiffe observaverat. Tandem accesserunt additionum libri IV.

* Germanis laus debetur, fatentibus Gallis ipsis, primæ edition. per typographos, quæ prodiit cura Amerpachii 1545. Ingolstadt. alias editiones habet Baluz. in præf.

§. 47. Sitne hodie horum usus quæri potest. Nam antiquitus in civilibus & ecclesiasticis valuisse *, propria auctoritate, contra Baron. probat Baluz. cit. loc. Minimum dubitandum non est, quin sedula lectio eorundem variorum Jurium, quæ nunc propter ignorantiam sub morum aut consuetudinis nomine latent legitimam originem indagare queat, exemplum extare reor apud Heigium quæst. 8. n. 72.

* Erat eorum & usus politicus, ne scilicet populi relicta sua jura ad plene auctoritatis sensum traherent.

§. 48. Saxonum Imperatorum oppido pauca extant indubiæ fidei, imo & successorum ad Lotharium Saxonem, forte quod parior Legum cura. Unde Goldasti fingendi li-

centiam sapius carpit Conringius. Sed nescio annon extitisse credibile sit, quia leguntur tot confirmationes jurium & legum uti Ottonis IV. Friderici II. Rudolphi I. Sigismundi &c. Reliquias sane quorundam Caesarum conservarunt specula Suevicum & Saxonicum nec non Jus Magdeburgense.

§. 48. Friderici II. supersunt plures leges binas insignes refert *Schilt. Tom. II. Jur. publ. p. 110.* Sed in iis publica Jura utrorumque principum confirmantur: agitur tamen ibidem de oppignoratione feudi, de hominibus propriis non recipiendis, de legitimo foro &c. quæ aliquatenus Juris privati argumentum conficiunt, adde *Datt. lib. 1. cap. 14. Hund. metropol. Salisburg. & Gothofred. Monachum passim Lebmanno, Schiltero, Conringio, &c. citatum* qui memorabilis constitutionis meminit anni 1236.

§. 49. Inter Codices Ambrasianos bibliothecæ Vindobonensis *n. 143. lib. II. cap. 8. Lambecii.* in folio regali codex manuscriptus extat legum ejusdem Friderici II. sed cujus argumenti Lambecius non adjecit.

§. 50. Rudolphi I. Constitutio anni 1287. in omni Jure usum habet. Tria enim ibi notabiliter definita 1.) ut Judices sequantur mores & consuetudines locorum 2.) ut in curiis Germanici idiomatis usus obtineat 3.) ut

3.) ut citationes in scriptis fiant *vid ipsam Constit.*
apud Lebmannum p. 555. chronici Spirensis. Ne vero
 contradicere putes hæc dictis §. 44. *vid. Schilt.*
præfat. Jur. Feud. Alemann. §. 11. Constit. Adolphi
de Insulis ad petita Comitis Geldriæ anno 1293.
promulgatam, adducemus in expositione
rerum, vid. representat. Imper. p. 620.

§. 51. Inter eosdem Codices Ambra-
 sianos apud Lambecium *n. 146. c. 1.* habetur
 Constitutio Henrici VII. quam in honorem
 Carol. IV. Bartolum notis illustrasse scribit
 Lambec. *ibid.* De his ita Panzirollus de claris
 legum interpret. p. 192. in his mature locutus
 Bartholus mirificè excelluit, unde solide do-
 ctrinæ genere delectati Franciscus Alberga-
 tus & Barbatius non pauca illis adjecerunt.

§. 52. A Carolo IV. & sequentibus Im-
 peratoribus incipit vulgaris collectio Recef-
 suum Imperii. Editio, quæ prodiit auspiciis
 Caroli V. Spiræ 1527. prima habita fuit, *vid.*
Decker in vindiciis Jur. Cameral. p. 17. Mauriti.
dissertatione de Recessib. Imper. §. 36. sed magnæ
 quidem autoritatis non tamen primam esse
 verius. *vid. Schilt. Tom. 1. Jur. publ. tit. 1. p. 19.*
adde Dn. Werlhoff specim. 1. cap. 1. 87. ubi reli-
quæ editiones cum epicrisi.

* *Frizius in certa argumenta digessit R. J. vid. paratit.*
ejusd. idem egit. Dn Andler sed prior nimis con-
cise, hic nimis prolixè, optandum ut locupletiore
indice instructi essemus.

§. 53. Illud dolendum, quod non tantum Recessuum à Carolo IV. * non integram & plenam editionem habeamus, sed, quod tota constitutionum Imperialium series antiquior hiet ubique, vel immixtis supposititiis Legibus mirè turbata sit. Neque, hunc defectum suppleant plane penitus Goldastus, vel alii diplomatum editores.*

* *Viginti novem Conventus Imperii ab anno 1356. ad annum 1507. quorum non meminit vulgaris editio, habitos fuisse Limneus annotat ad lib. 9. cap. 1. n. 225. Nominatim eos recenset & contra Mauritium Limnei fidem salvat Datt. lib. 1. cap. 22. n. 6. p. 154.*

* *Nota est insuper Conringii querela, quod Archiborum custodes more Draconum suis chartis incumbant.*

§. 54. Inde non inepte observat Decker de cultu Juris Cameral. valorem Recessus alicujus non æstimandum esse ex eo quod certo Codici insertus sit, cum nullus hæcenus apparuerit, qui defectu non laboret.

§. 55. Quanti vero intersit rei Germanicæ antiqua isthæc diplomata distinctius nosse efferamus verbis eruditissimi Freheri: Utinam (loquitur de constitutione à se edita) plures emergerent: non dubitarem eas eodem loco habere, quo Neapols Cæsarum Orientalium &c. paulo post: Mallems certe, etiam dubiosis & controversis quæstionibus

in

in foro obortis, decisionem è talibus petere, quam nescio e quibus Consultoribus & Rhapsodis.

§. 56. Atqui, inquis, quid refert has antiquas fabulas, has absoletas leges nosse, quid me Freherus? prævalere ex scriptis exotericorum legibus adornata Jura. Frustra allegatur Kulpisio de *authoritat. legum.* Mascardus *Conclus. 1276.* si constat ab initio non fuisse receptas leges. Enim vero recipi debebant, cum ab iis, qui leges ferendi Jus habebant ederentur. Et cui credibile est si plurium Cæsarum auctoritatem consideres eorum edicta nequidem ab initio valuisse. Cur hic non applicas; quod semel valuit, quare stare prohibeatur *L. 32. de Appell.**

* Neque obstat fortissima pugna inter leges & consuetudines, nam hæc non in omnibus sed potissimum in legibus de pace publica, vel de luxu. latis deprehenditur. Accedit, quod non loquamur de castis ubi manifesto de mutatione constet, sed ubi res dubia.

§. 57. Inter ordinationes corpori Recessuum insertas speciatim notandæ ordinatio Cameralis, Crimin. & sanctio de pace publica. In isthanc egregie commentatus est Blumius, in quo multa taxat Decker præcipue in vindictis *vid. in. cap. 10. p. 68. & 69. de cultu Jur. Cameral.* Illud laudi dandum Deckero, quod

præter alia subsidia quæ dicto loco commendat quinque bibliothecis instruat *cap. 7. 8. 9. 10.* rerum Cameralium studiosum, unde plenior summi huius iudicii notitia hauritur. An & alia Judicia extendatur Processus Cameralis, *vid Decker p. 5. vindic.* sane limitationes absorbisse regulam ultro fatetur.*

* *Historiam huius Judicii cum variis ordinationibus* re: enset Datt. lib. 4. cap. 1.

§. 58. Referendæ huc etiam ordinationes Judicii Aulici * *vid.* Ordinationem Ferdinandi I. de anno 1559. cum Supplementis Rudolphi II atque Matthiæ. Novissima est Ferdinandi III. de anno 1654. Illustrant hoc studium Mauritius atque Joh. Sam. Brunner dissertatione 1630. Giessæ habita. Gerhard atque Sprenger utriusque summi Judicii Cameralis & Aulici differentias exhibent. Adde Deckeri relectiones solennes & qui fusissime hac de re scripsit Uffenbach. Aliquatenus huc pertinet Ordinatio Judicii Bothvvilensis cum Commentario Wehneri, nam & hoc in varias regiones suam exercet auctoritatem *vid. Pauermeist lib. II. cap. 7.*

* *Contradictiones statuum & deliberationes de Ord. Jud. Aul. vid ap. Franckenstein & Obrecht in notis MSis ad notitiam Bœcleri lib. 13. cap. 4.*

§. 59. Alteram speciem Juris universalis consuetudo constituit. Sub quo nomine

ta-

tamen inciticia veterum multa texit, cum enim Itali Jcti leges nostras ignorarent, confugiebant ad consuetudinem quoties ipsis non constabat unde Jus aliquod descenderet, Kulpis sæpe cit. dissertat. p. 22. 23. Ad hujus naturam probè intelligendam egregiè facit Dn Thomasi diff. de Jure Consuetud. & Observ. Consistit vero in congerie plurimum actuum conformium alicujus momenti & præsumtionem vel pacti vel legis introducere aptorum. Quatenus inter privatos & subditos decedit, potissimum ultima præsumtio locum habet, quatenus vero in Collegio inter pares observatur, prima. Fons ergo obligationis non sunt ipsi actus conformes, seu mores, verum lex aut pactum, quæ merito præcessisse præsumuntur, cum ut plurimum, præcipue in meo & tuo homines citra pactum, aut legem vix ad actionum conformitatem perducantur.

§. 60. Dæi ejusmodi universales consuetudines per exempla probatum eunt Jcti. Videtur huc referenda validitas pactorum apud nostrates, unde quidam conditionem ex moribus competere volunt è pactis acturo. Verum cum ipsum jus Naturæ pactis robur tribuat, nolim ad consuetudinem hic recurrere, alia itaque exempla vide sis Exercitat. II.

§. 40. Struv. Exercitat. XV. §. XI. XXII. §. 29.

Schilt. Præcipue addendi Cameralistæ Gyllmannus Mynsingerus Gailius, Meichnerus &c. Illud non nego, quod facillimè pro consuetudine communi habeatur à peritis & imperitis, quæ talis non est. Quod citatio fiat hodie à Judice, moris universalis videtur, cum tamen non sit, siquidem in Ducatu Teschnensi actor nobilis proprie nomine concipit eandem vid. *Tesch. Lands-Ordn. tit. von Führladen.* Hinc in denominatione respicitur ad id, quod ut plurimum fieri solet. Multi tamen casus dubii propter contentionem morum & Juris Romani. Specimen est in doctrina de dote vid. quæ *Schilt. h. t. in ff. de moribus Germaniæ* annotet, ita *Beyer in delineat. Jur. Civ. eod. tit. **

* *Habemus quidem Goldasti consuetudines Imperiales, sed oppido paucas tantum cooduxit, sæpè universales existimat, quæ tales non sunt, adde Kulpis de Consuet. & Observant. Imper.*

§. 61. Utrum probanda Consuetudo? de universali affirmandum non videtur, cum citra notorietatem judicialem concipi fermè nequeat, vid. *Exercit. VIII §. 40. Schilt.* Particulares vero cum Judici regulariter notæ non sint, probandæ. Sunt qui unicum actum, quandoque sufficere putant, ut *Curt. Ravenn. allegati Schiltero Exerc. II.* Sed hi aperte confundunt consuetudinem cum possessione

ne

ne, in qua interdum unicus actus sufficit. &c. Ipse distinguit inter observantiam & consuetudinem, de hac non concedit, sed de ista. An differentia inter actus Judiciales & extra Judiciales *vid. Oldendorp. vol. 1. consil. 3. vol. 4. consil. 2. inter Marpurgens.* An attestatum judicis sufficiat limitat Schilt. d. 1. Quot testes requirantur *idem ibid.* An consuetudo strictæ interpretationis *id. Exerc. VIII. §. 3. De tempore vid. C. f. X. de Consuet.*

§. 62. Effectus Consuetudinis dicitur esse, ut tantum valeat, quantum lex scripta *L. 32. d. LL. Donellus 1. comm. 10.* Aequiparetur regis authoritati Alberic. Riminald. *Vol. II. conf. 135.* Imperiali sanctioni Schurff. *Conf. 72. n. 29.* Eadem possit, quæ Princeps Mynsinger *Centuria 4. obs. 24.* Contra eam agens peccet moraliter Tiraquell. *in præfat. de retract. Lignag. Puniatur ac si legem transgressus esset in eam peccans. C. in his dist. 4.* Sed quid si rationalis non sit? *vid. Dn. Thom. inf. d. diff. valere negat talem Jus Canon. c. f. X. de Consuetud. Jus Civ. hic respici jubere utrum bono publico non refragetur, & utilitati privatorum provideat vult Menoch. lib. II. A. J. Q. cap. 82. n. 7. vid. Reformat. politicam de anno 1577. tit. 38. ubi itidem irrationalis rejicitur.*

§. 63. Jura particularia, vel rursus ad certam ditionem restricta sunt, vel latius patent.

tent. Ad hæc referimus die Rhotweilische S. S. O. der Hannsee-Städte Reccesse quos exhibet Dn. Werlhoff d. l. die Creyß Abschiede quatenus de Judiciis Monopoliis Commerciis atque rebus ad politiam privatam spectantibus agunt. Extat de ultimis expressa factio in Ord. Cameral. p. I. tit. 22. §. Demnach setzen und wollen wir. Hujus præcipuè loci sunt celebria specula Juris Saxonici & Suevici. Item Jura Civitatum Lubecensis, Magdeburgensis & Culmenensis. De Aquisgranensi & Colonienfi vid. Conring. de O. J.

§. 64. Saxonum per omnia retro secula constans & non interruptum avtonomix Jus fuit. Sed more Germanorum initio legibus scriptis caruerunt. Sub Carolo M. tamen, qui teste Eginhardo omnium nationum, quæ sub ejus dominatu erant jura, quæ scripta non erant describere atque literis mandari fecit; & hæc consuetudines simul quoque in scripturam redactæ sunt. Edidit has Carolinas Saxonum leges Heroldus & post eum Lindenbrogius atque Hollstenius. Sicuti speciatim de Jure Saxonum jussu Caroli scripto egit Poeta apud Reineccium fol. 58. Sub Ottonibus nova incrementa cepit Heig. qu. 8. n. 30. qui tamen in eo fallitur, quod Burckardo de Mangelfeld collectionem & commentationem in Speculum Saxonum.

tri-

tribuat vid. Gryphiander *de Weichbildis*
cap. 52.

§. 65. Pro jure hoc stabiliendo er-
ctum Judicium Magdeburgicum ut & Hal-
lense vid. omnino eruditam commentatio-
Dn. Ockelii *de Palatio Reg. & Scab. Hall.* Mag-
deburgici origo refertur ad Otton I. sed Di-
plomate communiter allegari solito vix est, ut
probetur, agnovere tamen originem Legati
Osnabrugæ collecti, vid. Instr. Pac. *art. II. §. 8.*
succesſu temporis jussu Comitum de Falcken-
stein collegit denuo jura Saxonum Evkovv de
Rebkovv vel ut Codex Vindobonensis legit:
Eukube von Ribikube de cujus familia vid.
Heig. c. I. Occasio dicitur fuisse Papæ stu-
dium, in suarum legum collectione. Illud
nævo non caret, quod auctor chronologiæ
rationem non habuerit, nec tempus suæ com-
pilationis adjecerit. †

† Videtur tamen excusandus, quod idem agant historici
ipſius ebi, sic e. g. apud Uſpergensẽ legi Ber-
tholdum & Erchengerum Duces decollatos fuisse,
citra ullam aut loci, aut personæ descriptionem.
Scilicet sibi scribebant non posteritati.

§. 66. Antiquitatem Juris satis tamen
arguunt vocabulum Regis, probationes per
duella, aquam & ignem, pœnæ pugilum &
histrionum &c. Imo sub Friderico II. specia-
tim conscriptum esse dudum probavit Heig.
d. I.

d. l. Quo tempore accesserit Glossa vid. Gryphiand. c. 53. qui non unius hominis sed plurimum operas hic concurrisse notat. Quod initio latina lingua fuerit consignatum passim hactenus creditum est. Aliud tamen docet B. Schilt. Exerc. ff. XXIII. §. 63. †

† *Communi sententiae quidem accedit in praefatione Feudalis Jur. Alemann. sed non liquet, quatenam ipsius fuerit ultima voluntas. Pro latino idiomate militat & illud, quod Douinrus Theodoricus de Poxdorff Episcopus Naumburgensis latinum exemplar correxisse dicatur Dn. Hert. saepe cit. Diss.*

§. 67. Auctoritas ejus nescio an infringatur si quis audacter pronunciet, esse conscriptum putido dicendi genere, levi ingenio, judicio infirmo, literarum ac jurium barbarie deformatum. Legis enim virtutes non sunt elegans dictio, ingenium versatile & mendax, multo judicio in ordinem facta, digestio, literarum † aut historiae cultura, sed precipere, vetare &c. Sane si quis Bachovium legit, parum abest, quin haec omnia corpori Juris exprobrata esse inveniat, cujus auctoritati tamen parum inde decedit. Accedit quod stylus per aetates variet, venustas ejus dependeat à seculi genio, methodus non agnoscat leges adeo anxias, ingenium vero ad Romanenses Poemata, &c. pertineat.

† *Quid objiciemus hoc Juri Saxonico? Vides sanè ab hominibus, qui sibi sapere videntur, Johannem*

Jacobe

Jacob. Leibnizium pompose allegari, qui tamen
G. G. L. scribere nomen solet.

§. 68. Sed magis firmabimus ejus auctoritatem testimonii publicarum personarum. Non solum ELECTOR SAXONIAE, sed etiam DVCES in Comitibus, quando novae leges promulgantur protestari & cavere solent, ut ex juri Saxonico minime officiant Schult. in Prolegom. Synopses Philippi lib. III. ad Eccl. 17. Speculum vero hic intelligi indeliquet, quod DVCES non agnoscant recentius Jus Electorale. Neque vero ipse Imperator hoc ægre fert, cum Ant. Colerus ap. Schilt. Jur. Feud. Alem. p. 545. transactionem ab eodem confirmatam referat, ubi inter alia Imperator edicit: Daß in der Haupt-Sache nach Sächsischen Recht &c. Adde recentius exemplum Frid. Wilhelm. de anno 1668. *ibid.* Neque inscriptio operis Carpzoviani, quod Romano Saxonico dixerit juvat, potuit enim Romana vox præmissa esse, quod Jus Romanum latius pateat, & quam parum curate in hoc argumento Carpzov. quandoque locutus fuerit ejus elegans exemplum extat in usu mod. p. 58. illust. Stryckii.

§. 69. Neque vero in solo territorio Saxonum Principum Jus hoc includitur, sed præter VNICAM Silesiam †, uti Stylus quorundam fert, valet etiam in Herzogthum Magdeburg/

burg / Ober- und Nieder-Sachsen / Fürstenthum Halberstatt / Anhalt / Herzogthum Holstein / Stormarn / Dithmarschen / Herzogthum Bremen unter den Adel &c. vid. Pries in der Vorrede des Ausz. Keyserl. und Sächs. Rechts. Ne vero contra hunc testem de antiquitate excipias vid. novissime Dn. Werlhoff cit. Specim. p. 182 183. & seqq. qui adductis Provinciarum ordinationibus omnia corroborat. Neque te terreat vocabula: So ferne es usu recipirt, it. So ferne es unster Ordnung nicht zu nyeder. Nam & in aliorum Jurium quaestionibus etiam Civilis, si usus dubius recurrimus ad praesudicia & lex specialis in eodem casu regulariter praefertur legi generali.

† vid. DN. Stryk de jure Siles. Saxon.

§. 70. Habes hæc omnia fide publica, prout docebit inspectio legum provincialium. In terris Ducum Brunsvico-Luneburgensium lineæ Guelpherbytanæ per Ord. Rudolph. Augusti de anno 1675. cit. Dn. Stryk. in U. M. exterte abrogatum legitur. An idem dicendum de Ducatibus Calenbergensi & Cellensi? affirmat Dn. Werlhoff p. 189. ex eo quod silentio fuerit transmissum in ordinationibus dictarum Provinciarum recentioribus. Sed id repetere non fuit opus, cum semel valuerit. Accedit quod in Ordinatione Aulica Ducis Henrici de anno 1559. itidem non nominetur & ta-

men

men indiguit in Henrici Ducatu speciali abrogatione per Rudolphum August. Metropolis sane Provinciae Luneburgum tenet hodie-
 num idem jus vide Dassel *in comment. ad Jus Lu-
 neb.* Imo reliquias ne quidem ipse Werlhoff
 negare sustinet. De Westphalia cum in tot ter-
 ritoria scindatur, distincte pronunciandum.
 In Episcopatu Monasteriensi de abrogatione
 nil legitur, vid. Ordin. Aulic. & provincial.
 ejusdem. Uti nec in Juliacensi & Bergensi, vide
 itidem Ordinationes. Secus tamen se habet
 in comitatu Lippiaco Schaumburgico, vide
 Ord. ejusdem. Superesse adhuc in Marchia
 civitates, quæ illud observent ostendit Recef-
 sus Marchicus de anno 1654. ubi nominantur
 Cotbus, &c. In Thuringia usus indubius.
 In tractu Coburgensi & Hennebergico Pro-
 cessus tantum ratio inde petitur teste Schiltero.
 Sunt enim hæ Provinciae Juris Francici seu
 Alemannici. Illud miror quod bini celeberrimi
 Jure-Consulti in Hassia non valere anno-
 taverint, cum tamen de hac ditione, utpote in
 vicariatu Alemannico sita, quarere frustrane-
 um sit.

§. 71. Interpretes * nactum est penè
 multos. Ex antiquissimis noscuntur Vol-
 rath a Dunleben, Conrad a Ruslau, Goldast
 in præf. ad Specul. Saxon. Successit Tammo
 à Buxtorff, vid. Coler. Decif. 67. n. 33. Compen-
 dia

dia dederunt Conradus Lagus Witteb. Professor, cujus tamen liber in MSto later, Melchior Klinge & citatus Priezen J.U.D. Magdeb. verum hi omnes in assuendis fimbriis è jure Civil. saepe prave seduli extiterunt. Cæterum, quæ vulgo hujus Juris editio circumfertur Misnicam Dialectum redolet. In bibliothecis tamen Speculi nostri vetustissima, adhuc MSta latent. Habet Oldenburgensis teste Gryph. cap. 39. l. c. bina miræ antiquitatis & prisco Saxonico sermone conscripta. Habet & nostra Jenensis elegantem Codicem, cujus initialia verba cum Oldenburgensibus, pro ut eadem refert Gryphander ex asse congruunt. Habet & Vindobonensis egregia MSta Lambek *lib. II. c. 8. l. c.*

* *auxit horum multitudo incertitudinem, unde questionibus scriptis rem componere quidam aggressi sunt e g. Rauckbar Heig. vid. Præf. Personæ ad Heig.*

§. 72. Partem alteram Juris Saxonici constituit Jus Weichbildicum Magdeburgense, das Recht darinnen die Fälle begriffen/ die sich in denen Flecken und Städten begeben. Priezen dict. præf. vid. plur. Dn. Okel. *de præscript. immemorial. p. 51.* Vocatur etiam Jus Sredense, apud Cromerum *lib. 9. p. 161.* & ita legitur non tantum in editione Basiliensi, sed quoque in editione Pistorii & apud Hartknochium in

Chre-

Chronic. Prussic. p. II. cap. 7. ubi locum Cromeri recitat, quamvis Meibom. in introduct. ad hist. inferioris Saxonix legendum existimet Stedense, uti dicitur lib. I. art. 66. Spec. Saxon.

§. 73. Vnde Weichbild dicatur, non convenit inter Jctos, Dn. Hert. *c. l.* putat vveich vicum notare & bild formare, quasi Jus, quod vicum format: pro statua, quæ Judicii locum notat, accipit Goldast. apud Gryph. p. 253. qui sequenti pagina dictum etiam putat quasi imago vici, sicuti statua Rolandina, vide *integrum cap. 72.* Gryph.

§. 74. Si Diplomati Ottonis II. fides esset, sanè pervetustum Jus foret, sed quam elumbe antiquitatis argumentum ex eo petatur, vide Heig. *quæst. 8. n. 35.* quamvis ipse eo inclinet, quod Ottonum auctoritate in Polonia & Borussia sit receptum. Si Glossæ ad art. I. credendum, recentius est Speculo Saxonico, imo illius commentarius, vide Priezen pag. 24. Antiquissimum existimat Lambe. *l. c.* MSto Ambrasiano 142. quod non saltem bina diplomata * alterum de anno 1233. alterum de anno 1250. Magistrorum in Borussia, sed etiam Orthographia & divisio ipsi persuadent. Quatenus in Bohemia fuerit receptum dissentiant Goldast. *lib. IV. de regno Bohem. c. II.* & Balbin. in *histor. I. III. 22. §. 4.* qui cum Goldasto au-

Et oritatem Ottonum agnoscere non vult. Va-
let hodiernum in Polonia & Lithuania, in Ci-
uitatibus quibusdam Silesiæ vide Schifforder-
degker *de antiqu. & nov. Jur. Siles.* add. Felz. de
Bolcone LLat. Svidn. p. 20.

* *confirmat hæc eadem Hartknoch. de Republ. Polonicæ
lib II. cap. II. n. 5. existimat vero Boleslaum
Pudicum non primitus recepitte, sed receptum con-
firmasse. Ex dictis Diplomatis tamen non pro-
bari, quod jam is hoc ævo scriptum fuerit, respon-
sa enim saltem petita fuisse a Scabinis Magdebur-
gensibus, quæ hodiernum extant, sub tit. Magdeb.
Fragen vid. cit. Chronicum Prussicum p. 573. S. 12.
Unde ex Lambecio contra Gryphiandri sententi-
am (vide Gryph. cap. 29. n. 12. ubi anno 1336. il-
lud nondum extitisse putat) nil evinci potest.*

§. 75. Alterius Germaniæ partis Juri di-
cundo præerat olim Palatium Francicum, seu
Suevicum, unde & alterum Speculum Juris
Suevici. Rarior fuit jam diu hic liber, quam-
vis Meichnerus denuo prælo subjecerit &
Goldast constituit. Imperial. inseruerit, pau-
corum tamen manibus teritur. Multa pro hu-
jus Juris antiquitate congeffit Lambec. *c. l. p.
825.* cui plura reposuit Dn. Thomafius *Hiflor.
Jur. Feud. §. 49.* An temere afferuerit, quod
Rudolphus I. cum successoribus versaverint,
norunt certius, qui Vindobonensem adie-
runt. Non uno ex capite Dn. Schilt. Speculo
Saxon. illud præfert. Præcipue annotat, quod
si Sa-

si Saxonem quendam ad Imperii axioma, eligi contingeret, per privilegium demum is a Jure Saxonico exemptus Jure Alemanico gauderet, *vid. jus feud. Alemann.* Quod vero addit Jus hoc Saxonico antiquius & non consuetudine, sicuti illud, sed comitali auctoritate introductum esse, insigni dubio subjacet. Etenim Comitata Norimbergæ anno 1208. vix habita fuisse, sed Francofurti ostendit Werlhoff *c. l.* Imprimis illud notandum quod ipsomet Schiltero fatente annus 1208. in MSto, quo usus est non legatur, sed conjecturæ factus sit. Inde cadit & ista assertio, quod Saxonum speculum è Suevico exscriptum sit.

§. 76. Quoad usum si crederes non nemini sane nullum habuisset unquam. Sed oculi plus vident quam oculus. Diligentissimus antiquitatum nostrarum scrutator, Dn. Datt. *lib. IV. cap. I. n. 7.* evidentissimis exemplis demonstrat, non exiguam ejus fuisse auctoritatem seculo adhuc XV. cum anno 1489. Carolus Dux Lotharingæ adhuc provocaverit: Auf einen Austrag nach dem Land-Rechte zu Schwaben. Simile factum legimus in controversia dotalitii Comitissæ Bipontinæ 1485. Imo cum Giessæ Academia erigeretur, speciatim inter statuta ejus explicatio Jure Consultis serio injuncta est, addita ratione, quod in

pluribus provinciis obtrineat, vid. Hert. l. c. Aliud testimonium vide apud Goldast. *in praefat. ad consuetud. Imper.*

§. 77. Illud tamen negari nequit, quod hodie raritas libri indicio sit illud usu non adeo frequentari. Interim hoc capiendum de ipso Codice, nam quin singulae partes sub nomine morum ac consuetudinis hodiernum observentur, imo quin multa recentioribus constitutionibus inserta sint negare nequeunt peritiores, vid. Schilt. *praef. ad ff.* Et quamvis in variarum ordinationum Superioris Germaniae principio moneatur, vide *Psälzische Landes-Ordn. Württembergische L. O. Spanheimische L. O. &c.* Judices sibi temperare debere, ne judicent secundum obsoletos & antiquatos mores, sed secundum communia jura Imperii. Absurdum tamen foret omnia speculi contenta sub nomine obsoletorum morum intelligere velle. Accedit, quod ordinationes uno impetu jura recepta mutare molientes, saepe optato eventu destituantur, vide exemplum de Prussia apud Hartknoch. *c. l.* Superfunt adhuc, ut alia taceam, bona Ehrschazzica, quae lucem ex hoc jure accipiunt, vid. Schilt. p. 636. J. F. A. adde Dn. Thomaf. hinc inde in Dissertationibus.

§. 78. Sicuti Magdeburgum celeberrimum Jus Weigbildicum produxit, ita Lubecæ

Jurisp
ter non minor
dicitur hac urbs ju
co Leone. Laude
legen, recitat M
p. 8. Intra
occupant. Ma
sumus in Pru
Flambergens
litiones ad L
videm infreq
p. 6. §. 7. Ge
in praefat.

§. 79.
erudit in h
sed rarius n
interpretatio
Mav. quæst. p
Lubecensē de
tenti, atque W
ces. Prius ipsi
litis supplicib
Lubecens. lib. II

§. 80. Ju
apud Doctores B
sempractico
omino Codic
Jullagdeburgen
revis, nam in Su
sed Flamingi Ju

becæ non minoris auctoritatis lex succrevit. Dicitur hæc urbs Jus suum accepisse ab Henrico Leone. Laudes hujus Juris, præcipue Scalligeri, recitat Meibom. *introductione Sax. infer. p. 81. seqq.* Intra Germaniæ fines contineri non potuit. Magna siquidem adhuc ipsius autoritas in Prussorum urbibus, Elbingensi, Frauenbergensi, & Brunsbergensi, imo appellationes ad Lubecense Judicium non fuisse ibidem infrequentes testatur Hartknoch p. 562. §. 7. Germaniæ civitates recenset Mæv. in præfat.

§. 79. Præter laudatum Mævium pererudite in hoc Jus commentatus est Sibrand, sed rarius nunc apparet. Si dubium oritur, interpretationem fortitur è Jure Saxonico Mæv. *quest. prælim. I. n. 55.* Fontes, unde Jus Lubecense desumptum, assignantur Jus susatense, atque Wisvvyense, qua res scil. nauticas. Prius ipsi Cives Lubecenses fatentur in literis supplicibus ad Frideric. I. vid. Arnold. Lubecens. lib. III. *Chronic. Slav. cap. 40.*

§. 80. Juris Culmensis frequens mentio apud Doctores Borussos. Est hoc, ceu in recentiori practico & à Casimiro Rege Polonia confirmato Codice legitur, non ipsissimum, Jus Magdeburgense, uti non nemo persuadere vult, nam in Successione, non Weichbildi, sed Flamingici Juris dispositionem sequitur.

Vid. Hartknoch p. 583. imo integer. c. VII. ubi pluribus historiam ejus recenset. Referimus vero hoc Jus ad Germaniam, dum qua originem, dum & olim qua loca, ubi viget.

§. 81. Celebriora jura hæc excipiunt leges, quæ certi territorii, vel urbis ambitum vix egrediuntur. Inde occurrunt hic ordinationes Principum varii argumenti, statuta civium Imperialium, jura municipiorum. Ad di possunt jura certarum præfecturarum, quorsum refer, quæ Fritsch adducit: von der Heringer / Görsbacher und Bergischen Flur. In supplem. Speidel. Besold. p. 36. verbis das Flämische Recht. Imo & in singulis quibusdam pagis peculiaria observantur, vide Scriptores Thesaurorum voce: Baurenschied. Potissimum ratione casuum in re Oeconomica evenientium.

§. 82. Jus, quod à Principibus statutum est, vel communi nomine venit; Fürstl. Ordnung / Landtags Abschied / Hoc ultimum in iis locis, ubi comitiorum provincialium usus, vid. Hugo de Statu Germ. p. 175. uti in Misnia, Philippi in Ecclog. p. 29. Bavaria Aventinus lib. IV. Anal. Ducatu Brunsvicensi, Wurtenbergico vid. E. Herold de his provinc. Hassia vid. Hert. d. l. Marchia vid. Schepliz. in Consuetud. March. Quamvis non negandum, quod parior ubique seges, * harum ordinationum
nostro

nostro seculo colligi videatur, vid. tamen Sekkendorff *D. S. St. p. II. cap. 4.*

* *in Palatinatu libere quidem vivit Princeps, sed olim Statuum Provincialium rationem habitam fuisse ostendit Trithemius in Chronico Sponheim. ad annum 1505.*

Vel speciali: Jagd, Forst, Holz, Fisch, Teich, †
Mühlen, Berg, Salzwerc, †† Policey, †† &c.
Ordnung. †††

† *Vide die Hollsteinische Teich, Ordnung. Herzog Christian Ludwig Teich, Ordnung.*

†† *Vide Straßburgische Feuer, Ordnung.*

††† *Refer huc porro allerhand edicta, als Münz, Duell-Edicta &c. item: Publique Mandate, Manifeste &c.*

†††† *Variarum Provincialium ordinationes, M. Sauer in Ausbund allerhand Landes, Ordnungen. Brunswicensis junctim prodire 1698. Lipsiæ, vid. Geisens Teutsch Corpus Jur. 1703. Hanoveræ. Gisebertum in peric. stat. &c.*

§. 83. Præcipue post ea tempora, † quibus manifestior pugna morum & peregrinarum legum palam observari cœpit, ejusmodi leges conditæ sunt. Quod per inductionem der Maynz, Frier, Eölln, Brandenburg, Hesses, Württembergischen &c. Ordnungen/ probatu admodum facile esset, nisi hac opera, supersedere juberent clausulæ in omnibus fere deprehendi solitæ: Zu Fortsetzung gleichförmigen Rechtens / und die Dinge zu rechter Richtigkeit und Gewisheit bringen zu lassen &c. zu Pflanzung

lung gleichmäßigen Rechtsens / vid. Præfat. August. Elector. ad Constit. Process. Præfat. ord. Jud. Aul. Monasteriensi Præfat. ord. Process. Francof. &c.

* factum scil. hoc seculo XV.

§. 84. Confirmationem Cæsaream hinc inde vides adhibitam, vide Ordinationes Moguntin. Juliac. Monaster. Brunsvic. Pommeran. Imo potestatem sibi reservasse Principes deprehendis, mutandi, corrigendi addendi, vid. Præfat. der Bugbachischen Gerichts-Ordnung. Sed hic, si ullibi verum: superflua non nocent. Etenim in Camera secundum jura provincialia judicandum esse indistincte, æque ac secundum constitut. Imperii, probat Ord. Cam. p. 1. tit. 13. Imo expressis legibus imperii Status derogare possunt, vid. Meichsner. Tom. II. lib. 1. def. 80. n. 40. Quamvis dubitet Mynsinger O. 58. II. Inde factum, ut in multis hæc confirmatio omissa, vide præcipue Ordinatio Saxonica & Brandenburgica. §. 85. De Statutis civitatum Imperialium cum Stylo Juris publici eodem Statuum Imperii nomine comprehendantur, peculiariter dicendum non esse videtur illud tamen inspiciendum, quousque civium ipsorum consensus exposci soleat. Notæ sunt Hamburgensium, Lubecensium & Argentoratensium in hanc

hanc rem controversiæ. Transactionem Lubecensem exhibet Gastel. *de Statu publ. Europæ.*

§. 86. Videtur agendum esse de consuetudinibus particularibus, nam intuitu singularum provinciarum plures tales deprehendi, quam ratione totius imperii notissimum est. Sed quæstiones practicæ de his cum iis, quæ supra §. 60. de universali formavimus, fere coincidunt.

§. 87. Si princeps ad singulorum petitionem respondet, dicitur Rescriptum. Quæstiones ad Rescripta pertinentes enodat, Schilt. Exercit. 1. §. 15. v. g. an rem judicatam retractent. De modo subscribendi in Nov. 114. cap. 1. quatenus servetur, vid. Stryk. in U. M. de constit. princip. p. 14. Si Commissariis quid injungat mandatum est, de quo infra in L. de process. Si sponte quid edicat, Edictum appellamus, quamvis hodie differentia mandati & Edicti non observetur, sic legimus: *Rösnigl. Preuß. Duell-Mand. Fürstl. G. Duell-Edict*, si regimen pronunciet in aliqua causa, sententia dicitur decretum de quo postea.

§. 88. Tandem videmus & municipia Jura condere, vid. van der Graf. p. 144. *de Jure municipali*, competit, inquit, subalterne hæc potestas municipio, non universajiter, sed particulariter, intuitu rerum, quæ Reipublicæ non obesse municipio autem, quam plurimum

num prodesse possunt. Illud evidens non eandem esse omnium conditionem, sic præter Erfurti, Brunswigæ. Rostochii Jura, Stralsundæ, Wismaria & Magdeburgi insignia privilegia ex ipso instrumento pacis Westph. nota sunt. Hinc speciatim cujuslibet Status, transactiones cum Principibus & actus possessorii &c. inspicere debent, quibus deficientibus demum recurritur ad Jura magis communia, aut L. Romanorum *ad municip.*, uti in omni controversia civili observatur.

§. 89. Generaliter circa res, quæ moram non ferunt ex rei natura aliqualis potestas ipsis relinquitur, e.g. in nundinis ratione tabernarum, rerum venalium e.g. von unreiffen Obst/ Fleisch/ Korn &c. liberè disponunt, vid. Carpz. *p. II. C. 6. D. 2.* Loca Juris Germanici, de potestate magistratus urbium vid. ap. Dn. Thomaf. *de differ. magistr. sec. mor. ger.* Cæterum tutissimum est impetrare confirmationem cum principes in territoriis suis strictius regnent Hugo *l. c. de stat. germ.* Neque enim, ut statuta municipiorum observent, si non confirmata, regimina jubentur, quod tamen Camera incumbit, sicuti supra diximus, ratione legum Statuum Imperii.

§. 90. An ad suburbia se extendant, ni fallor difficultate laborat. Regulariter suburbia sunt urbium accessorium, si tamen ad præ-

profecturas, ve
nabiles perime
Academias vi
Esel, & pñi citat
Colei in notre
zet. Alud fan
deni partim
terribilia &
Sicut. c. l. C
tur, de iis o
Pury-Stron
lippin Eccle
ca interpre
dictis*.

* Prae
12/
fisc
Ela

§. 91.
Collegiorum
Ordnungen der
leges certo or
privilegia. H
impe, seu ce
navei in J
erat. Verum
pione, rejicim
cannem ad cap
§. 91. Pra

præfecturas, vel Ecclesias Cathedrales, vel nobiles pertineant, aliud dicendum. An in Academiis vim exerceant, vid. Schilt. *de Jur. Eccles.* & ipsi citatum Struvium, qui a sententia Coleri in nostro Scabinatu recessum esse, monet. Aliud sane dicendum videtur, ubi Academia partim à municipio dependet. An inter mobilia & immobilia distinguendum? vid. Schilt. c. l. Quæ speciali privilegio eximuntur, de iis quæstio inanis est, v. g. Fürstl. Burg-Freyheiten / Frey-Häuser &c. vid. Philippi in *Ecclog. p. 9.* De revocatione, Avthentica interpretatione, judicandum ex hæcenus dictis*.

* *Præcipua divisio municipiorum est: In Land-Städte / Amt-Städte / Gerichtsherrn-Städte / Land-sassen-Städte / &c. vid. Seckendorff. in Fürstl. Staat.*

§. 91. Restarent nunc Ordinationes Collegiorum: Wechsel-Recht der Kauffleute / Ordnungen der Zünffte / Zünungen &c. item, leges certo ordini vel homini datæ verbo: privilegia. Hæc vel expressæ legi, vel præsumptæ, seu consuetudini debentur, atque rursus vel in Jure Universali vel particulari extant. Verum cum his jus personarum explicetur, rejicimus exactam magis eorum tractationem *ad caput ult. de Jure Person.*

§. 92. Præjudicia, seu sententiæ & decisio-

cisiones causarum itidem pro Juris communis regula allegari solent. Hic non contenti domesticis ad peregrina planè abivimus; sic allegari vides non raro: Decisiones rotæ Romanæ, Genuensis, Allobrogum †, arresta Parliamentorum Gallix ††, Frisiorum, Belgii †††, Geldrix, &c. Decisiones. Sed his quidem nemo majorem auctoritatem concedit, quam quod exinde videre possumus, quomodo splendida ista judicia leges communissimas interpretata fuerint, & an subsit ratio, ut eundem sensum amplectamur. Licet negandum non sit imperitum judicem sæpius his seduci, ut patria jura æstimet è peregrinis.

† *vide Anton. Tessauro. Anton. Fabr. in C. Decis. Sabaud.*

†† *vid. Soefue dans neveau recueil de divers questions.*

††† *vid. Sand. decis. Fris. & ad consuet. Geld. van Loebben. Christin. ad Mechlin. consuet.*

§. 93. Apud nos eminent præjudicia Camerae †. Collectores recenset Dek. *de cult. Jur. Cam. c. 9.* Usus eorum non esse, ait *ibid.* ut Camerae assessoribus normam præscribant, nam eos non agnoscere normam, nisi à Cæsare & Statibus, vel à se ipsis præscriptam. Verum Dn. Stryke U. M. p. 69. 70. hanc Cameralium libertatem per R. I. de anno 1654. §. 131. †† solide refutat. Jubentur enim dict. R. J. daß die Assesores in pleno sich eines gewis

gewissen vergleichen etc. Quod de modo procedendi capit all. Stryk. Adde, quod stylus Camerae in procesibus & decidendis causis retineri jubeatur recessu Imperii 1570. §. Derohalben. Item monentur Seniores in memorialibus ut junioribus proponant stylum scripto comprehensum. Nebelkräh. decis. 1.

† e.g. Hermann Esaias Rosacorb. Meichsn. Gylm. Bart. Denisf. Roding. adde Fabritii Corpus 7. Cam

†† *vid. Gamsf. in Not. ubi refert Assessores plane negasse, quod varie pronuntiaverint, variare tantum circumstantias, culpam esse Advocatorum. Sed quid hac negatio intenderit, facile subodorabit prudens. Hinc Comititia non obstantibus eorum memorialibus obicem posuerunt.*

§. 94. Manifesto hinc apparet, quam vim habeant in judiciis statuum. Etenim in decisionibus causarum non majorem vim habebunt quam in ipsa Camera. In formalibus vero seu modo procedendi, ex eo capite rarius attendentur, quod judicia Statuum peculiaribus processuum ordinationibus instruantur. Interim insignis testimonii, quod hæc vel illa sententia à praxi non abhorreat, locum * subibunt. An & partem, quæ tali præjudicio inducta litem suscepit, ab expensis, & Judicem à periculo ne litem suam fecisse dicatur, liberent, affirmandum puto, cum absolum esset, plane infra Scabinatum sententias Camerae decreta locare velle.

* *Inde*

* *Inde Dn. Stryk. proem. mect. ad Lautorb. Gailiæ
lection. in eo commendat, quod ejus magna sit in
Germania auctoritas. Apte tamen egit Deck. quod
supra dictos Collectores in Bibliotheca doctrinali,
non legislatoria recensuerit.*

§. 95. Non opus itaque erit de re-
giminum, senatuum, præfecturarum, re-
bus judicatis differere, cum ipsis plus quam
Camera tribui nequeat. Si plura exem-
pla sententiarum conformium allegari pos-
sunt: res perpetuo similiter judicata, tan-
dem vim legis ac juris inducunt, vid. Mev.
p. V. dec. 283. Vocant, hanc speciem juris, ob-
servantiam. Sed magni momenti sunt, quæ
in contrarium movet Dn. Thomas. in Diss. de
jure consuet. & observ. §. 54. Concedit tamen
ibidem, qua formam processus obligari par-
tes, ut stylo curiæ se accommodent.

§. 96. Scabinatum responsa, vel confi-
lia sunt, ad unius, sive Judicis, sive partis de-
siderium data, & hæc non obligant, liberant
tamen judicem, ne à partibus possit conveni-
ri, & partes à pœna temere litigantium, modo
ad legitimam facti enarrationem fuerint im-
petrata, vid. Commentatores ad §. 8. de J.N.G.
& C. Quæ vero per modum sententiæ trans-
missis integris actis communi consensu concipi-
untur, alteri parti, cæteris paribus, omnino
jus rei judicatae tribuunt. vid. Dn. Stryk. U. M.

de c. 1. §. 8. cum pluribus alleg. Interim vides, nec hæc, quæcunque sint, vim legis habere aut regulæ, sed saltim sententiæ, de quo tamen non quæſivimus.

* Solent Jcti ab Antecessorum modo pronunciandi sepius recedere, sic in hac Academia a Coleri &c. in Lipsiensi a Carpozovii sententia plus vice simplicis Scabini abierunt. Vid. Struv. synt. J. Civ. Dn. Thomas. in Not. ad Strauch. Caterum in Responsa & Sententias Juris Doctorum acriter invehitur Voet. n. 5. ad §. 8. de J. N. G. & C.

§. 97. Succedit communis opinio, à qua in judicando non recedendum esse vult Philip. Ecløg. 65. n. 9. Habet communem opinionem pro lege Cardinalis Mantica de conject. ult. vol. l. 5. tit. 6. n. 9. Sed unde constat, de communi opinione? Quilibet Doctor sane communem suam opinionem dicit, imo tutiorem vel magis communem. Hinc videbis sæpe contrarias opiniones referri, & utramque communem dici vid. Hieron. de Cævallos, Spec. commun. contra commun. plura specimina congeſſit etiam Anton. Gabr. l. 1. de probat. per tot.

§. 98. Sunt qui plane dubitant, quod communis opinio sit species juris vid. prolixè Nebelkräh decis. 1. qui in utramque partem disputat, pro affirmativa cumulavit rationes XXXVII, pro negativa XVII, cum responsioni-

D

bus

bus ad priores. Potissima negativæ est, quod ipse Imperator moneat Judicem, ut secundum Leges, constitutiones, & mores, non vero secundum communem opinionem judicet *princip. de offic. jud.* vid. Ritterh. *ad Nov. p. 9. c. 6. n. 35.* Voët. *ad princ. de O. J. just.*

§. 99. Potissima difficultas in eo est, unde vis obligandi iudices è communi opinione oriatur, Dn. Stryk. p. 61. U. M. distinctione allata hunc nodum solvere aggreditur, an sc. Dd. simpliciter communem opinionem crepent, an eam in judiciis usu valere testentur. Hoc casu, non quia communis opinio, sed quia in judiciis obtinere Dd. testimonio probatur, vim juris haberet. Sane supra vidimus, quod propter jurium multitudinem, cui interpretum dissensiones accesserunt, docenda sit receptio, ergo necessitas ipsa ad Dd. tanquam testes recurrere suadet.

§. 100. Multa tamen de horum testium conditione disputari solet. An Doctores de consuetudine extra suam curiam credendum, quod negat Gabriel *n. 3. d. 1.* Quot Dd. requirantur, ut communem opinionem constituent, sex cum Bartolo requirit Anton. Marcor. de communi opinione *l. 1. t. 3. n. 18.* Sed hoc rejicit Nebelkräh *d. 1.* Quid agendum, si ab utraque parte par numerus producat, suggerunt quidam, quod videndum, qui

quinam rem incidenter, qui nam data opera, exponant, quinam in responso venali saepe, quinam in tractatu de quæstione agant, vid. Mynsing. l. 6. obs. 60. Item an tantum in re dubi a locum habeat, vid. Freher. de fama cap. fin.*

* *Optimum consilium est, si quis communem opinionem jus non facere credit, insimul tamen persuasus est, opus esse, ut quis casum dubium secundum principia juris nature examinet, rationes æquitatis indaget, deinde demum suos Dd. evolvat, examinet, explicet, consentientes, quo aliis ostendat, se quoque libros legisse, alleget, sic enim & præjudicio autoritatis immergis & sagacioribus satisfaciatur. Quod si vero ordinem turbat, & ante, quam quid pronuntiandum sit, proprio Marte invenerit, spissa Rhapsodorum volumina adeat, nil instructior inde, sed in partes hinc inde raptus, confusissimus abibit.*

§. 101. Notanda ultimo sunt legum communia. Ad omnem legem requiritur promulgatio, seu publicatio, vid. Res. pol. 1577. c. 18. verbis Es soll solche Ordnung se. adde Philip. Eclog. 11. lib. 1. n. 1. cum all. Caroli M. laudabilem curam in hac re describit Baluzius in pref. ad capit. Hinc hodie non tantum prælegi, sed publicis in locis affigi, imo, quod in Saxonia ratione ordinationis matrimonialis practicatur, quotannis e suggestu recitari solent. Fieri tamen hoc potest tantum intuitu legum Germanicarum, nam corpori juris

utrique, hoc elegans requisitum deest, quis enim hæc è suggestu præleget, aut publice affiget? Hinc ne subditi ignorantiam identidem causentur, ipsis passim inculcatur, ut peritiores consulant. Plura de his ad tit. de jure rustic.

§. 102. Quo vero & absentibus tempore publicationis subveniat, non statim, altero post eam die, sed per *Nov. 66.* post duos menses demum lex vim obligandi nanciscitur. Quod & hodie, nisi aliud brevius, aut longius tempus legislatori arriserit, observatur vid. *Schult. in syn. quest. 69. n. 47. parte II. Treutl. volum. 1. disput. I. Stryk. Tir. de LL. U. M.*

§. 103. An sufficiat legem allegasse, an probatio requiratur, & quænam disceptari solet, vid. *Schilt. Exerc. 1. §. 14.* Si lex semel observari jussa, sufficit allegatio & ostensio, quod extet in libro, aut alibi, si forte de existentia dubium. Neque hic differentiam esse puto inter jus commune, provinciale & statutarium. Est enim omnis genuina lex jussus ejus, qui impetrandi potestatem habet, quæ necessitatem parendi supponit. Nec obstat, quod pronunciarum solet: *Würde N. daß Statutum in beglaubter Form und daß solches in observanz &c.* Etenim, quod taliter in allegatione juris communis non pronuncietur,

ex-

Prolegomena
 male est, quod C
 s. habetur, neu
 similitudines
 quis ad les Mag
 eps exemplum a
 vid. Westf. in c
 Corpore juris all
 curaret.
 §. 104. An
 nante sint. R
 obstat, quod
 bat: recessus
 nisi rite infun
 explum alleg
 Dec. de cal.
 injungitur, ut
 vol. 1. tit. 10. 16.
 liberum, contra
 ripere. Idem d
 Statum, etiam
 cum sufficiat, q
 gis territorium
 Syn. p. 9. tit.
 Elect. Pr. Wilh.
 §. 105. Del
 tentum est à Dr
 Not. ad po
 sim. observatio
 ut interpretatio com

exinde est, quod Corpus Juris Scabini ad manus habeant, neutiquam statuta. Inde JCTi Helmstadienses, tale quid non exigent, si quis ad Jus Magdeburgicum provocet, quia ejus exemplum à Senatu ipsis transmissum, vid. Werlhoff *in cit. spec.* Imo si quis falso è Corpore Juris allegaret, itidem probatio incumberet.

§. 104. An opus, ut leges judiciis insinuatae sint. Regulariter non puto. Neque obstat, quod Blum. *processu Cam. tit. 2.* scribat: recessus Imperii Cameram non ligant, nisi rite insinuati, etenim nec texrum nec exemplum allegat, hinc ejus opinionem rejicit Deck. *de cult. J. C. p. 34.* Moguntino quidem injungitur, ut exemplum transmittat, Schutz. *vol. 1. disp. 10. tb. 15. lit. 2.* Sed Cameræ non est liberum, contra omissam insinuationem excipere. Idem dicendum videtur de judiciis Statuum, etiam ratione recessuum Imperii, cum sufficiat, quod semel in comitiis à singulis territorium dominis approbati sint. Stryk. *p. 9. tit. de LL. U. M. ubi rescriptum.* Elect. Frid. Wilh.

§. 105. De legum interpretatione satis expositum est à Dn. Thomaf cum in Logica, tum in Not. ad posit. fund. Inter elegantissimas observationes, præcipue commendat, ut interpretatio communis à juridica secernatur,

tur, cum hæc peculiare quaspiam regulas habeat. Adde disp. ejusdem *de reg. quod benef. princ. latiff. interpret. Controv. cum Placc.* vid. Grot. Puffend. ex antiquis Stéph. Phederic. Simon de Prætis, Manticam. Multam lucem affundunt juri germanico varia glossaria, Cangi, Spelmanni, sine dubio & B. Schilt. solis enim regulis vix hic proficiemus.


§. 106. De legibus Romanis incertis à Cujacio potissimum restituitis vid. Richt. *de cif. 37. n. 48.* Sed quid si lex dura? JCrus hic cogitare debet cum Ulpiano *l. 12. qui a quib. manum*: lex quidem dura, ita tamen scripta. Neque conscientia ipsum torquet, si reputat, ipsum pronunciare debere secundum leges, non vero interrogari de propria sententia. Hinc laborabit, ut sensum eruat verum, non vero blandientem. Accedit, quod multa videantur dura, quæ non sunt, vid. Werlhoff *cit. spec. c. 2. p. 203.* Non adeo à scopo aberrarem, si eadem responderem Schiltero de duritie legis Uratislav. *querenti Exercit. 1. §. 16.* Remedium Juris Canonici, quod hic suggeri solet, & desperatum & ineptum est.

§. 7. Quid si leges contrariæ? Si conciliari possunt, conciliandæ. vid. Huberi *prælect. proem. Inst.* Communiter suadent, videndum esse, quænam lex sit recentior, unde leges

leges Cod. Digest. & Nov. utrisque præferunt. Si nulla antiquior, tenenda est, æquior, vid. l. 15. de reb. cred. collat. leg. 34. ff. mand. vel, quæ pluribus suffragiis nititur, exemplum est in differentia prædiorum urbanorum & rusticorum, ubi solus Neratius peculiarem opinionem fovere videtur? Quid si leges sunt mutilæ? conferendæ sunt cum libris integris, si adhuc habentur, vel cum legibus ejusdem auctoris aliis, cui scopo inserviunt indices Labitti, Anton. Aug. Wolffii, Freymonii. Quid si leges interpolatæ? Standum ajunt interpolationi. vid. Wissenb. in Embl. Tribon.

De Methodo.

§. 1.

ntiquissimis temporibus Romæ mane Jus docebatur, * quod præcipue Ciceronis atque Horatii testimoniis probat Hotomann. in *Jct.* erat autem hæc docendi Juris, instituendorumque Studioforum, ac discipulorum ratio: Non, ut in scholis, sicuti Philosophi, vel dõmi data opera, sepositoque tempore Leges interpretarentur: sed, ut eadem opera, qua consuloribus responderent, simul & audientes Adolescentes instituerent. Inde Cicero in *Orat. eodem*

tempore & discipulis satisfaciebant & consulentibus.

* De arcanis Jurisprudentiæ e. g. Jure Flaviano vid. DN. Thomas. in Nevīs.

§. 2. Neque vero enim mox cessavit hoc institutum. Paulus & Ulpianus notissima Juris nomina à Præceptore suo Æmilio Papiniano in ipsis rerum argumentis instruebantur. Clarissimum vestigium extat in *L. lecta est in auditorio Æmil. Papin. ff. de R. C.* Nihilominus errant, qui existimant, levi saltim brachio defunctos fuisse Juris interpretatione veteres. Nam origine causisque legum ritè indagatis singula verba ponderabant, atque genuino sensu percepto varias quæstiones miscebant, adde Panziroll. *c. l. p. 88.*

§. 3. Faciem sequentium temporum depingit Imperator in *Constitut. omnem Roip.* scilicet postquam Caji libri in pretio esse ceperant, proponebantur discipulis libri Institutionum & ejusdem libri singulares de veteri re uxoria, de Tutelis, de Testamentis & Legatis. Valde arbitraria erat Methodus dum loca Caji pro lubitu explicabant vel præteribant, neque ordinem Edicti perpetui observabant. Secundo anno *τὰ πρῶτα* Legum & tituli vel de Judiciis vel de rebus addebantur, ita tamen ut negligerent in his argumentis quoscunque ferè vellent titulos.

Ter-

Tertio anno supplebatur aliquatenus defectus secundi & ad sublimissimum Papinianum ejusque Responsa iter aperiebatur, sed & hic pauca ex multis decerpta. Tandem recitatio Responsorum Pauli Quarti anni & studiorum finem faciebat.

§. 4. Ipsius Imperatoris methodus describitur ibid. vid. Panzin. *l. c. p. 88.* Adrian. Turneb. *in Adversar.* Impendere vero jubet quinquenarium universo studio. Primo anno explicandæ sunt Institutiones cum quatuor libris Digestorum. Secundus annus facratur interpretationi septem librorum de Judiciis, vel octo librorum de rebus, his addendus vel liber XXIII. vel XXIV. vel XXV. Unus de Tutelis, unus de Testamentis, unus de Legatis, uti lubet. Tertium absument expositio librorum vel de Rebus vel de Judiciis proximo anno omiſſa, cui junguntur liber, XX. XXI. XXII. quo tempore auditoribus Papinistarum nomen hæret & festum celebratur, quia libri auspiciantur à Papiniano Quarto laborandum in tradendis libris, qui hæcenus omiſſi ad librum XXXVII. Reliqui enim privatae industriæ commendantur. Quintus annus & ultimus Codici vacat. In hunc finem Constantinopoli quatuor & Berythi quatuor Professores alebantur, *vid. cit. auctores.**

* *Inde liquet quam parum superstitiosus in observando Pandectarum ordine fuerit Imperator, imo, quod bonam partem plane intactam reliquerit. Hinc non absolum erit, si Virorum Illustrium monitu memor sine dicendorum seriem adornamus, ut sicuti Imperator ad sua tempora respexerit, oculum ad nostrum seculum, quod plures, prater Romanas Leges recepit, adjiciamus.*

§. 5. Secuti Justinianum interpretes Græci per contraria & similia Jus interpretari aggrediebantur, prout ex inspectione Glossæ Basilicorum, Balsamonis, Photii, &c. patet. Quidam paraphrasi delectabantur, ut: Theophilus.

§. 6. Glossatores vero in Italia, quorum primus Irnerius, textum textui conferentes in consonantiam jus redigebant, dissonantia solvebant, initio tamen ultra digestum vetus non pergebant. * Quo vero docerent accuratius Antagonistæ seu concurrentes ipsis adjungebantur. Perpetuo textu singulorum glossas collegit Accurs. anno 1220. Qua collectione effectum, ut post eum nemo glossas scribere auderet ** Jacobus à Ravanes primus celebratur, qui dialecticas argutias juri intulit. Unde disputationibus omnia miscebantur. Pyleum auctorem faciunt Brocardorum circa annum 1170.

* *Primus hunc defectum suppl. vit Rogerius.*

** *Postea enim caperunt commentarii Odofredi, Salyceti, Bartoli & Baldi, Oldradi de Ponte, Imole, Jaco-*

Jacobi a Belvisio. Caterum Mediolanē omnes,
se jure dominii habere Azonis summam jurare
tenebantur.

§. 7. Neque vero compendia deerant,
primum dedit Rogerius, quem post Placenti-
nus, Johannes Azo &c. secuti. Utriusque Ci-
vilis & Canonici miro ordine ingenio atque
incredibili brevitate primum compendium,
apud Panziroll. laudatur Petri Thomafii. Ple-
rumque in his legum in certa capita digestio-
nibus, quas Summas vocabant, præter coor-
dinationem legum non multum egregii de-
prehenditur.

§. 8. Postea in binas partes potissimum
abierunt Jcti, quidam methodum pande-
ctarum secuti, quidam aliud systema conscri-
pserunt. Neutris rursus inter se convenit.
Illi enim vel singularum legum explicatio-
nes aggressi sunt, ut Contius, Anonymus *in*
Cynof. Jur. p. II. p. 16. vel generali titulorum
locatione tantum retenta, singulas leges in
certum ordinem digesserunt: ut Duarenus,
Wissenbach, Franzkius &c. Idque iterum du-
plici ratione, vel secundum methodum Ra-
meam. vid. Freigii *Ideam Jcti perfect.* Wefen-
bec. Eckold. &c. vel per definitiones & axio-
mata, ut: Huberus, Beyer & alii que.

§. 9. Qui nova Systemata * condide-
runt, itidem vel prolixiori apparatu id ege-
runt,

runt, ut Ioannes a Felde, Hugo Donellus &c. vel ad pauca capita, quicquid Juris docetur revocarunt: sicuti Franciscus Balduin, qui Personarum Obligationes & Rerum Dominia, nec non Joannes Appellius, qui Dominium & Obligationem unicos fontes esse voluerunt. Novissimè DN. Thomafius, quatuor partes, Dominium, Hæreditatem, Contractum & Processum partium generalissimarum loco constituit. In eo conveniunt hi JCr, quod Jus Personarum non conficiat peculiarem fontem, sed quod se habeat instar circumstantiæ, uti loquitur Appellius, aut quod generalia & perpetua non contineat, sed quod singularia præcepta de his explicanda, uti refert Balduin *d. l.* Vel quod omnium maximè elegans & perspicuum, quod Jus Personarum sit complexus Exceptionum quatuor regularum generalium, ceu exactè docet DN. Thomafius.

* *In doctrina Systemica multum deferunt communiter Hoppero, qui primus, in libro, quem ob amorem filii, Seduardum inscripsit, quod plerisque Paradoxum videbatur, in artis formam Jus redegit. Vid. Conring. in Prolix. præf. alteri edit. Seduard. præmiss.*

§. 10. Nos eorum doctrinam qui pauca capita constituere amplexi potissimum, prius Jurisprudentiæ definitionem efformabimus.

Jurisprudentia civilis: est prudentia modum

dum docens, quid cujusque privati in bonis sit & quomodo illud persequi debeat, secundum cujuslibet civitatis jura dignoscendi.

Est vero in bonis non tantum illud, quod Jure Dominii ad nos spectat, sed quoque, quicquid per actionem peritur, aut per exceptionem retinetur L. 52. de A. R. D. Possunt hæc itaque commode comprehendere sub vocabulis Dominii & Obligationis. Dominium est duplex, Singulare & Universale, illud regulariter Dominii nomine venit, hoc hæreditatis. Obligatio pariter ad bina capita refertur. Facti liciti & illiciti, ad hoc delicta & quasi delicta, quatenus per ea increditum imus, ad illud vero conventiones & regulæ æquitatis seu quasi conventiones pertinent. Horum omnium theoretica speculatio est, nisi de effectu eorundem seu actione in judicio proponenda & modo publicam securitatem conservandi simul tractetur.

Inde in sequenti tractatione agemus libro I. de Dominio, lib. II. de Hæreditate, lib. III. de Conventionibus & quasi, lib. IV. de Delictis, quatenus privatum interesse exinde persequimur, lib. V. de Processu Civili, lib. VI. de Processu Criminali.

Jus Personarum partim hinc inde immiscebimus, partim subjiciemus in fine per modum auctuarii.